

HEINRICVS VANDALORVM PRINCEPS.



Heinricus ille ex illustri principum Vandalo-
rū familia prognatus, ob plurimas animi &
corporis dotes eorum princeps constitutus fuit.
Is Christianæ fidei cupidissimus religionem mul-
tis in locis cōfirmauit, atq; plurimas hinc inde ad
mare Germanicū ecclesias erexit, anno 1160. Dein
de quoq; multis Episcopis comitatus Hierosoly-
mam petiit, atq; sua uirtute res Christianorum in
Syria plurimū promouit. Domum reuersus Lu-
beckam urbem restaurauit, atq; ibidem Maioris
ecclesiæ fundamenta collocauit, idq; in Heinrici
eius urbis Episcopi præsentia. pari feroce & Ra-
ceburgense templum edificauit, atq; multis dona-
rijs auxit. Cum autem plurimi hostes aduersus eum conspirarent, etiam ad ur-
bes & arces suæ ditionis conuersus eas communiuit. Tandem cum Imperato-
re Friderico I. pacem inijt, atq; magna laude inter alios principes suam uitam
peregit. Crantz. lib. 5. Vandal. cap. 41.